

leni calore absque ebullitione fac evaporare ad Syrupi spissitudinem, cola.

*Vis*: expectorans, diuretica, laxans, majori dosi emetica.

*Usus*: in asthmate humido, tussi, hydrope.

Pharmacopoearum maximum agmen in formula illa consentiunt. Ph. Lond. 1836: Aceti scillit. Libr. duas, Mellis Libr. tres. Ph. Dan. milit. amborum par pondus. Ph. Genev., Hass. Aceti part. unam, Mellis part. quatuor.

**OXYMEL SIMPLEX.**

Sauerhönig. *Oxymel simple.*

*Synon.* Mel Aceti simplex, Oxymel-  
litum simplex.

Rec. Aceti Vini albi Libr. unam,  
Mellis despumati Libr. duas,  
evaporent leni igne absque  
ebullitione ad Syrupi consisten-  
tiam, tum colentur per mani-  
cam vel pannum laneum.

*Vis*: refrigerans, diaphoretica.

*Usus*: in febris, inflammatio-  
nibus; potionibus et gargarismatibus  
adjuetur.

Plurimi Codices in formula illa conve-  
niunt. Ph. Edinb.: Mellis tres, Aceti  
duas partes. Disp. Fuld., Lipp. am-  
borum partes aequales. Ph. Hass. Aceti  
unam, Mellis quatuor. Belg. Aceti unam,  
Mellis tres partes.

OXYMEL TABACI vid. Oxymel Nicotianae.

OXYMEL TARTAROSUM SWEDIAUR.

Rec. Cremor. Tartari part. unam, Mell. de-  
spumati part. duas, m.

OXYMURIAS POTASSAE = Kali chloricum.

OXYRHODINUM GRAY.

Rec. Olei rosati Unc. duas, Aceti rosati  
Unc. unam, m. pro linimento in herpete.

OXYSACCHARUM s. Syrupus Aceti.

Rec. Sacch. albi Libr. tres, Aceti Vini q. s.  
ad Syrupi consistentiam.

OXYTARTARUS = Terra foliata Tartari.

PANACEA DUPLICATA s. de Holstei n  
= Arcanum duplicatum.

PANACEA HORNMANNI vid. Aurum hori-  
zontale ZWINGERI (p. 104).

PANACEA MERCURIALIS est Calomel ali-  
quoties sublimatum, nec tamen eo melius.

PANACEA MERCURIALIS RUERA = Mer-  
curius praecipitatus ruber.

PANACEA TARTAREA vid. Tinctura Tar-  
tari composita.

PANADA ANGLORUM AUGUSTIN.

Rec. Panis secalini tostii Unc. sex, Cinna-  
momi Drachm. semis, Cort. Citri rec. Drachm.  
duas, Vini albi Libr. duas, coctis colatis  
adde ad libitum Vitellum Ovi vel Aromata.

PANCHYMACOGUM MERCURIALE = Cal-  
lomel

PANCHYMACOGUS QUERCETANUS = Cal-  
lomel.

PANES PURGANTES ET VERMIFUGI  
PIERQUIN.

Rec. Calomell. Unc. unam et semis, Pulv.  
Jalapp. Unc. tres, — Coriandri Drachm.  
unam, Farinae Tritici Libr. unam, Sacch.  
albi Libr. unam et semis, Ova No. 24, Aq.  
Naphae Unc. unam, f. panes Unc. unius.

PANES SACCHARATI PURGANTES PIER-  
QUIN.

Rec. Jalapp. Unc. duas et semis, Farinae  
Tritici Unc. duas, Ova No. 24, Sacch. albi  
Libr. unam, fiant panes sexaginta.

PANIS CYDONIORUM CUM AROMATIBUS  
vid. Diacydonium aromaticum (p. 252).

PARAGUAY-ROUX, Pararoux,  
Tinctura Spilanthis compo-  
sita. Pararoux, Sinctur der Para-  
tresse, Roux's Zahnmittel. Paraguay-  
Roux.

Rec. Herbae et Florum Enulae bifron-  
dis Unc. unam, Herbae et Florum Spi-  
lanthis oleraceae (Cresson de Para) Unc.  
quatuor, Rad. Pyrethri gross. contusi Unc.  
unam, Spiritus Vini rectificatissimi Unc.  
sex; digere per 14 dies, tum fortiter ex-  
prime; residuo infunde Spiritus Vini rec-  
tificatissimi Unc. duas, denuo digere in  
vase clauso per aliquot dies et iterum ex-  
prime. Liquores mixtos filtra.

Arcanum a Roux excogitatum et in le-  
gum tutelam susceptum, postea publici  
juris factum. *Vis*: antidontalgica prae-  
sentissima. Remediis dolores dentium le-  
nientibus ceteris, sicuti Oleo Cajeputi,  
— Caryophyll., Creosoto multum ante-  
ferendum.

PASSULAE ANTHELMINTHICAE s. ver-  
mifugae. Wurmfosunen.

Rec. Passular. minor. Unc. octo, Rhei in  
nodulo inclusi Unc. semis, Helminthochorti  
in nodulo Unc. unam, Aq. Portulaccae Unc.

quatuor, in furnum immitte pane cocto inde remoto, et vas ibi relinque, donec passulae intumuerint et mollesfactae sint.

PASSULAE LAXATIVAE s. Confectio passulata (p. 198).

Ph. Wirt. Rec. Fol Sennae Unc. quatuor, Rad. Zingiberis Drachm. unam et semis, Cinnamomi Drachm. duas, Aq. ferv. Unc. decem, in colatura expressa solve Sacch. albi Libr. unam, solutionem infunde Passularum minorum, in aqua communi ad mollitiem coctorum et a superflua humiditate modica exsiccatione liberatarum Librae uni. Ph. Palat. Fol. Senn. Unc. octo, Sem. Foeniculi Unc. semis, Cinnamom. Drachm. duas, Aq. comm. ferv. q. s. ad colaturam Libr. unius et semis, Sacchari ad plumam cocti, Passular. minor. mundatar. aa Libr. unam et semis. Ph. Dan. Fol. Senn. Unc. quatuor, coque in Aq. comm. Unc. decem, sub finem coctionis adde Cinnamomi Drachm. tres, expressa bulliant cum Sacch. albi Libr. una, colaturam superfunde Passularum Librae uni. *Myx siccatus* formulam prolixiorum prodidit sed omittendam.

PASTA, *Paste*, *Teig*. *Pâte*. Medicamenta tenacia, subsolida, digitis non adhaerentia, ex Saccharo et Gummi arabico maxima ex parte conflata; nonnunquam corpora salutaria efficacia admiscuntur. Gummi arabicum integrum aliquoties aqua frigida externe abluatur, ut materia amara externe frustulis gummi adhaerens, auferatur. In solvendo Gummi integro ne nimium aquae addatur, quo evaporationi diutinae praecavetur. Si in pasta praescribitur infusum vel decoctum plantarum, hoc pro solvendo Gummi sumendum est, denique Saccharum in frustula majora contusum addatur. Quando pasta pellucida manere debet, solutio inter agitationem calefiat usque ad ebullitionem; quum ebullire inceperit, agitationem desine, et fac evaporare leni coctione. Tali modo solutio pastae inspissetur, absque adustionis periculo a Gummi arabico. Si pasta extracti mollioris consistentiam contraxerit, aromatibus condenda est; spuma blando motu a superficie removeatur, et pasta in modulos e ferro laminato stannato confectos, obiter Oleo Amygdalarum illitos, effundatur, et in tepidario penitus siccetur. In modulis summa imum vertantur antequam penitus siccata fuerint

pasta, ne in unum latus curvatum remaneat. Moduli nonnisi levissime Oleo illinantur, quia pasta per illud rancescere potest; CHAUFFARD Mercurii vivi guttulis quibusdam Stannum in Amalgama mutari proposuit, a quo pasta facillime tollitur. Pastae, quae pellucidae manere non debent, inter assiduam agitationem inspissentur; sub finem aromata addantur; effundantur in tabulam ligneam amylo pulverato conspersam, vel marmoream oleo inunctam.

PASTA ADSTRINGENS BORIES.

Rec. Terrae sigillatae Drachm. tres, Boli Armenae Drachm. unam, Succu Plantaginis q. s. ut fiat pasta

PASTA ALTHAEAE. *Mtheepasta*. *Pâte de Guimauve*.

*Synon.* Pasta de Althaea, Pasta gummosa, Massa cum Gummi arabico, Tabellae Althaeae. *Brustleber*, *Gummileberzucker*, *Gummitteig*.

Rec. Gummi arabici electi totius Uncias sedecim,

Aquae communis Uncias triginta duas,

in vase fictili vitreato leni calore fove interdum agitanda donec Gummi penitus solutum fuerit, aqua evaporatione consumpta interdum restituenda, tum cola per cribrum setaceum arctioris texturae vel per pannum laneum mundissimum; colaturae adde

Sacchari albi in frustula minorum contusi Unc. sedecim, calore solve et leni evaporatione ad mellis spissioris consistentiam redige.

Interdum

Albumina Ovorum sex, cum

Aquae Naphae Unciis duabus, assidua pulsatione in spumam

densam redige, quam portiu-  
culis minutis in pastam gum-  
mosam adhuc valde calidam  
ingere, et strenua agitatione  
subige. Inter assiduum exagi-  
tationem fac evaporare, donec  
pastae portiuncula exemta in  
lamina vix effluat. Pastam ef-  
funde in modulos chartaceos;  
vel ferreos amylo conspersos.

*Vis*: demulcens, involvens.

Sit alba, levis, non nimium indu-  
rata, vel tenax, in ore facile tota  
solvatur.

Quondam usus fuit dissolvere Gummi  
Arabicum in Infusione ex Unciis duabus  
Radici Althaeae parata pro dosi supra ex-  
hibita. At color hac encheiresi facilius in  
griseum vel subflavum vergit. Praeterea  
mucilaginis copia ex tantillo Radici pro-  
lecta, quid sibi vult contra tantam Gummi  
et Sacchari vim. Jure ergo eam omi-  
serunt Codices recentiores. Althaeam ha-  
bent Ph. Gall. 1818, Bor. ed. 3, Oldenb.,  
Bavar., Dan., Lipp., Ferrar., Hass., Hisp.,  
Sard., Brunsv., Fuld., Palat., Wirt., Ross.,  
Batav., quarum varietates perstringere vix  
operae pretium est. Althaeam omiserunt Ph.  
Bor. ed. 5, Gall. 1837, Slesv.-Hols., Saxon.,  
Parm., cet. — Nonnulli Co-  
dices in eo peccaverunt, quod Gummi in  
nimia aquae copia dissolvi suaserunt, e. gr.  
quadruplo pondere. Aquae tantum est  
adhibendum, ut Mucilago calida colari  
possit. Colatio per cribrum setaceum fa-  
cillime atque citissime cedit, et colationi  
per pannum est anteposenda. Criterium  
justae spissitudinis, quod a Codicibus mul-  
tis indicatur, pastam ante effusionem in  
dorso manus non amplius agglutinare de-  
bere, nimiam evaporationem, et inde ad  
ustionis periculum affert. Praestat citius  
quam serius pastam effundere, et aquae  
nimiam vim tepidarii calore modico ab-  
sumere. Agitatio cum spatula lignea mun-  
dissima atque lata exerceatur, ut omnes  
fundi sartaginis partes exagitentur.

Ph. Gall. 1837 Gummi cultro depurari,  
in pulverem contundi, cribrari et absque  
colatione adhiberi vult. At minorem ope-  
ram affert mucilaginem tenuiorem parum  
inspissare, quam tantam Gummi molem  
pulveratam per cribrum trajicere.

PASTA AMYGDALARUM, Butyrum  
Amygdalarum dulcium, Pasta re-  
gia. Mandelnteig, feste Mandelmilch. *Pâte*  
*d'amandes.*

Ph. Succ., Feun.: Rec. Amygdalarum

dulcium decorticatarum Libram unam, Amyg-  
dalarum amararum decoct. Unc. semis, mixta  
contunde in mortario lapideo, adjecta Aquae  
Naphae suffic. quantitate, deinde admisce  
Sacchari albi Libram unam, fiat massa mani-  
bus tractata eis non adhaerens. Disp.  
Lipp. Amygdal. dulc. excoct. Libr. unam,  
— amara. excoct. Unc. unam, Aq. Naphae  
et Sacch. albi  $\overline{aa}$  Libr. unam et semis.

PASTA ANTICEPHALALGICA CADET.

Rec. Pulv. Hb. Hyoscyami, — Flor. Rhoead.  
 $\overline{aa}$  Unc. unam, Opii Gran. sex, fiat cum Aceto  
pasta.

PASTA ANTIMONIALIS.

Rec. Butyri Antimonii Unc. unam, Zinci  
muriat. Unc. duas, Farin. Tritici Unc. quin-  
que, Aq. dest. Scrup. duos, f. pasta, ex qua  
formentur tabulae.

PASTA APII BOUDET.

Rec. Rad. Apii recent. Unc. octo, Aquae  
comm. q. s., coque leniter, per linteam cola  
adde Gummi Arabici pulv. Unc. sedecim,  
Sacch. albi Unc. octo, solve cola, et in bal-  
neo aquae ad pastae justam consistentiam con-  
sume.

† PASTA ARSENICALIS DUPUYTREN. Du-  
puytren's Arsenifteig.

Rec. Arsenici albi Calomell.  $\overline{aa}$  Unc. unam,  
Gumm. Arabic. pulv. Unc. duas, Aq. dest.  
Unc. unam, f. pasta.

† PASTA ARSENICALIS PIERQUIN.

Rec. Aq. fortis Unc. unam, Mercur sublim.  
corros. Unc. quatuor, Sal. Ammon. Unc. duas,  
Arsenici albi Drachm. unam, destillent ad sic-  
cum, adde residuo Aceti dest. q. s. ad pastam  
formandam.

PASTA CACAOTINA vid. Chocolada sim-  
plex (p. 179).

PASTA CACAOTINA CUM LICHENE IS-  
LANDICO vid. Chocolada cum Lichene islan-  
dico (p. 179).

PASTA CACAOTINA SACCHARATA vid.  
Chocolada medica (p. 179).

PASTA CARICARUM. Feigenteig. *Pâte*  
*de Figes.*

Rec. Caricarum q. v., absque coctione prae-  
via in mortario in pulpa contunde, quam  
per cribrum setaceum trajice. Huic pulvae  
adde quadruplum pondus Sacchari albi, et  
coctione in pastam redige in lamina lignea  
ope cylindri lignei extendendam.

† PASTA CAUSTICA ELSIL.

Rec. Lixivii Saponariorum Unc. octo, de-  
coque ad Unc. duarum remanent., liquori fer-  
vido adde Extr. Opii Drachm. duas, Calc. vi-  
vae Drachm. sex vel q. s., ut humidum ab-  
sorbeatur.

† PASTA CAUSTICA CANQUOINI.

No. 1. Rec. Zinci muriatici (Butyrum Zinci  
p. 143) fusi et pulverati part. unam, Farinae

Tritici part. duas. No. 2. Zinci muriatici part. unam, Farinae Tritici part. tres. No. 3. Zinci muriatici part. unam, Farinae Tritici part. quatuor; in mortario cum sufficiente copia Aquae communis, guttatim adjiciendae, pastas forma, quas denique in tabula lignea ope ligni cylindrici hinc inde manubrio instructi, ad modum conditorum pastas depressum, in laminas tenues planas extende, ex quibus laciniae aptae exsecantur. Aliam denique formulam, eandemque fortiolem, prodidit: Rec. Butyri Antimonii partem unam, Zinci muriatici part. duas, Farinae q. s.

## PASTA COSMETICA Ph. Bor. ed. 5.

Rec. Amygdal. amarar., — dulc. sing. excorticat. <sup>aa</sup> Unc. quatuor, contunde cum s. q. Aq. Rosar., adde Mellis albi Unc. unam, Cerae Drachm. unam, Camphor. Drachm. semis. SPIELMANN: Amygdal. dulc. excort. Unc. octo, Farin. Fabar. Unc. sedecim, Myrrh. Unc. duas, Camphor. Unc. unam et semis, Sapon. Venet. Unc. viginti, m.

PASTA DACTYLORUM s. de Dactylis. Dattelnteig. *Pâte de dattes.*

Rec. Dactylorum Libras duas, enucleatas et concisas coque cum Aq. comm. Libr. sex et semis, cola cum expressione; colaturae adde Sacchari albi Libras sex et dimidiam, et Albumina Ovorum duorum, despuma lege artis et cola. Seorsum recipe Gummi arabici Libr. octo, solve in Aq. comm. frigidae Libr. undecim, et cola per pannum laneum Decoctio-nem Dactylorum saccharatam ad Syrupi consistentiam decoque, adde solutionem gummosam et lege artis in pastam evaporare; sub finem adjectis Aquae Naphae Uncias octo.

† PASTA DEPILATORIA. Haarsteig. *Pâte dépilatoire.*

Rec. Auripigmenti Unc. unam, Calcis vivae Libr. unam, Amyli Unc. decem; pulverem mixtum serva in vitro bene clauso; ad usum cum aqua in pastam redige. Cf. Rhusma.

## PASTA EMULSIVA vid. Pasta Amygdalarum.

PASTA EPISPASTICA vid. Cataplasma Cantharidum (p. 154).

## PASTA ESCHAROTICA CANQUINI vid. Pasta caustica CANQUINI.

PASTA GLYCYRRHIZAE vid. Pasta Liquiritiae.

## PASTA GUMMOSA vid. Pasta Althaeae.

PASTA HELICUM Ph. Slesv.-Hols. Schneckensteig. *Pâte de limaçons.*

Rec. Helicum viventium q. v., concisa contunde in pastam pultaceam, quam sacculo linteo inclusam exprime. Hujus jusculi gelatinosi Libris singulis adde Pulv. Gummi arabici Unc. duas, Sacch. albi pulv. Unc. quatuor, et lenissimo igne fac evaporare ad justam pastae consistentiam, in modulos effundendae.

PASTA HELMINTHOCHORTI. WurmmooSteig. *Pâte de Helminthochorton.*

Paretur cum Decocto Helminthochorti sicut Pasta Lichenis Islandici.

## PASTA IREOS FLORENTINAE. Weißenzwurzelsteig.

VAN MONS: Rec. Rad. Ireos Florent. cont. Unc. unam, cum Aq. comm. frigid. Unc. sedecim cola, colaturam calefac cum Gummi Arab. Unc. viginti, solutioni adde Sacch. albi Unc. quindecim; lege artis despuma cum Albumine Ovi et coque ad pastae consistentiam.

## PASTA JUVIALIS, Amalgama Stanni. Sinnenamalgam.

Rec. Stanni puri Unc. duas, fusas in pyxidem ligneamingere, simulque adice Mercurii vivi Unc. tres, et operculo ligneo imposito cito et fortiter concute. Amalgama exortum in mortario contere. Ph. Hisp. illam miscendorum rationem tradidit. Alii par pondus utriusque metalli misceri volunt.

PASTA JUJUBARUM, s. de Jujubis. Brustbeerenteig, Bruststeig. *Pâte de Jujubes.*

Ph. Gall. 1837: Rec. Jujubarum Libr. unam, coque per horam dimidiam cum Aq. comm. Libr. quinque, cola cum expressione, et sepone ad subsidentiam. Seorsum recipe Gummi arabici Libras octo, bis cum Aq. comm. frigidae pauxillo lava, tum solve in Aquae communis frigidae Libr. undecim, et cola sine expressione. Decoctio-nem saccharatam Jujubarum in catino lege artis cum Albumine Ovorum clarifica, adde solutionem gummosam, et inter agitationem calefac ad ebullitionem; quum ebullire coeperint, agitationem intercipe, et lenem ebullitionem obtine, donec in extracti mollioris consistentiam abierint, tunc adde Aq. Naphae Unc. sex, et catinum in vas alterum aqua fervida plenum impone; post horas duodecim spumam in superficie concretam caute exime, et pastam lentam in modulos ferri stannatos, Mercurii vivi pauxillo illitos, effunde. In tepidario penitus exsiccata. Non raro in Pasta Jujubarum Jujubae ipsae plane omittuntur, sicut Radix Althaeae in Pasta Althaeae. Eodem modo procedatur, posthabita coctione Jujubarum. HENRY ponderum rationes tales esse sistit: Gummi arab., Sacchari albi <sup>aa</sup> Libras novem, Aq. comm. Libr. decem, Aq. Flor. Aurant. Libr. semis.

PASTA LICHENIS ISLANDICI, s. lichenifera, s. lichenata. Färländischmoosteig. *Pâte de Lichen.*

Rec. Lichenis Islandici, ab amaritie liberati, Unc. sedecim, decoque cum Aq. commun. s. q. (Libr. sex), cola cum expressione, in colatura solve Gummi arabici Libr. sex et Unc. octo, et Sacchari albi

Libr. quinque et Unc. quatuor, soluta fac evaporare blando igne in pastae durioris formam, quam in marmoream tabulam, Olei pauxillo illitam, effunde et tabula dentam absterge, ut Oleum auferas.

Formulas, quae Cacao continent, vide voce Chocolada Lichenis Islandici (p. 179).

### PASTA LIQUIRITIAE.

*Saktrigenteig. Pâte de Réglisse.*

*Synon.* Gelatina Liquiritiae, Mucilago Liquiritiae, Saccharum glycyrrhizatum, Glycyrrhiza lucida, Gluten pectorale. Brustleder, Lederzucker, Reglisse, Brustteig. *Pâte de réglisse blanche.*

Rec. Radicis Liquiritiae decorticatae concisae Unc. quatuor, macera per noctem in

Aquae communis Libris octo, in infuso colato sensim solvantur

Gummi arabici Librae duae cum dimidia

Sacchari albissimi Libra una cum dimidia.

Stent per duodecim horas, iterumque colata leni igne sine agitatione, empyreumate caute evitando, evaporent, dum pellicula de superficie nonnquam detrahatur, donec gutta laminae metallica frigida instillata gelatinae instar consistat. Tunc detracta pellicula caute effunde in sartagine calidam et ex hac postquam bullae disparuerint, in cistulas planas e laminis ferreis stanno obductis paratas, et tantillo Olei Amygdalarum inunctas. Pastam medico calore sufficienter exsiccata et in taleolas scissam loco sicco serva.

*Vis:* demulcens, leniens.

Sit coloris e fusco-flavi, diaphana, ab empyreumate libera, et in ore facile solvatur.

*Usus:* in tussi.

Hanc formulam bene concinnam Ph. Bor. ed. 3, Hann., Hass., Oldenb., Polon., Slesv.-Hols. secutae sunt. Ph. Bor. ed. 5 Radicis Liquiritiae Unc. duas, cet. par. Ceteri Codices ab hac formula non nisi ponderum rationibus discrepant, nec tamen adeo, quam quarum varietates in re tam exigua accuratius perstringendae esse viderentur.

PASTA LIQUIRITIAE ANISATA, Succus Liquiritiae de Blois.

Adde formulae praecedenti Rad. Ireos pulv. Drachm. unam et Olei Anisi Gran. viginti quatuor.

PASTA LIQUIRITIAE FUSCA, Massa fusca cum Succo Glycyrrhizae. Brauner Brustteig, brauner Lederzucker. *Pâte de Réglisse brune.*

Ph. Gall. 1837: Rec. Succu Liquiritiae venalis Unc. tres, solve in Aq. comm. frigid. Libr. sex et semis, in colatura solve Gummi arabici Libr. quatuor, Sacchari albi Libr. duas et Unc. octo, Extr. Opii aquos. Grana duodeviginti, blando calore ad pastam evaporent, l. a. in modulos effundendam.

PASTA LIQUIRITIAE NIGRA, Massa nigra cum Succo Liquiritiae. Schwarzer Brustteig, schwarzes Brustleder. *Pâte de Réglisse noire.*

Rec. Succu Liquiritiae venalis Libram unam, dissolve in Aquae comm. frigidae Libr. quatuor, in colatura solve Gummi arabici Libr. duas, Sacchari albi Libr. unam, et lege artis in pastam redige.

PASTA LIQUIRITIAE CUM OPIO s. OPIATA vid. Pasta Liquiritiae fusca.

PASTA AD NAEVOS SPIELMANN. Mutter-maltetg.

Rec. Sapon. Venet., Calcis vivae  $\bar{aa}$  par pondus, tritura simul.

PASTA PECTORALIS CADET.

Rec. Gummi Arab. Libr. duas et Unc. octo, Aq. comm. q. s. (pondus duplum), solutioni adde Sacchari Uvarum Unc. viginti octo, rite ad pastam coctis adde Aq. Naphae Unc. octo, effunde l. a.

PASTA CONTRA PERNIONES. Leichborn-teig.

CADET: Rec. Amygdal. dulc. excoct. contus. Libr. unam, Mell. puri Unc. sex, Spirit. camphorat., Farinae Sem. Sinap.  $\bar{aa}$  Unc. semis, Alumin. usti, Olibani  $\bar{aa}$  Drachm. duas, Vitell. Ovorum No. octo. *PLANCHE:* Amygdalar. amarar., Mell. albi  $\bar{aa}$  Unc. octo, Alumin. ust., Olibani, Benzoës  $\bar{aa}$  Drachm. tres, Farin. Sem. Sinap. Unc. unam, Spir. camphorat. Drachm. quinque, Vitellos Ovorum quinque.

PASTA REGIA vid. Pasta Amygdalarum.

## PASTA RUBEFACIENS BORIES.

Rec. Summitat. recent. Rutae Unc. duas,  
Pulv. Sem. Sinap. Drachm. duas., contunde  
simul.

PASTA PRO SYRUPO HORDEATO vid.  
Pasta Amygdalarum.

PASTA VESICATORIA vid. Cataplasma  
Cantharidum (p. 154).

PASTA ZINCI MURIATICI vid. Pasta caustica.

PASTILLI, Tabellae, Rotulae, Trochisci. *Zeltchen*. *Pastilles*, *Tablettes*, sunt medicamenta sicca, fragilia, ex Saccharo plerumque et aromatibus mixta. Sive cum Saccharo rite cocto, sive cum mucilagine parantur. Pastilli absque calore tali modo praeparantur. Pulveres et aromata immiscenda primum cum Sacchari justa copia trituratione commiscuntur; altera ex parte praeparatur Mucilago satis spissa, plerumque e Gummi Tragacanthae, cujus tanta copia pulveribus mixtis inter strenuam percussionem immisceatur, quanta ad pastam mollem efficiendam requiritur. Pastilli ex hac pasta duabus praecipue methodis formantur. *Cylindrus hujus massae justi ponderis in machina pilularum ad totam machinae latitudinem aequabilis formatur, et leni pressione in cratem canaliculatam in triginta partes aequales dividitur. Partes singulae ope cultri in incisura desecantur, digitorum ope in globulos formantur, hique modulo ligneo in pastillos laeves vel signo notatos comprimuntur. Altera pastillorum formandorum methodus eo consistit, quod pasta in machina pilularum ope cylindri lignei manubriis duobus instructi in tabulam aequaliter crassam extenditur, ex qua ope tubi ferrei pastilli pressione levi exsecantur. Si pulveres plantarum pastillis immiscuntur, mucilagine crassiore opus est, ne partes extractione et coloratae solvantur, eoque pastilli minus candidae prodeant. Mucilago plerumque ex Gummi Tragacanthae praeparatur. Hoc gummi, ope cultelli ad calamos temperandos apti depuratum, in vase murrhino cum octuplo vel duodecuplo pondere Aquae misceatur, et in cineribus adhuc ca-*

*lidis digeritur. Post aliquot dies massa tumida per linteum exprimitur, et mucilago in mortario baculo caedatur. Ex gummi integro praeparata mucilago tenacior atque purior prodit, quam ex pulverato. Sunt qui mucilagini Tragacanthae aliquantulum Gummi arabici vel Albuminis Ovorum addant, ut Pastilli pellucidiores exeant. Hoc jam magis Gummi arabico mero obtinetur. Sumatur Gummi arabici pars una et Aquae partes tres; hujus mucilaginis pars una plerumque sufficit ad subigendas Sacchari partes octo. Mucilaginis adhibendae copia in omnibus formulis non eadem semper est. Si Salia, Acida, Sulphur, Magnesia immiscuntur, mucilaginis major copia, at spissioris est adhibenda. Summopere eo in omnibus pastillis studendum est, ut quam minima mucilaginis parte parentur, ne nimium scilicet exsiccatione indurescant, eoque tardius in ore solvantur. Nunquam pastillis immiscenda sunt corpora saporis atque odoris ingrati nauseosi, quia masticatione nausea producitur.*

Pastilli cum Saccharo cocto tali modo praeparantur. Saccharum contusum per cribrum trajicitur, trajectum denuo cribro arctioris texturae immittatur, et pulvis subtilissimus separatim pro usu ulteriore servetur. Quod vero in cribro remanet, pastillis parandis inservit. In cacabum parvum, ore effusorio angusto, in latum sinistrum verso, instructum Sacchari granulati partem immitte et cum aqua aromatica pastam fac; haec calefiat ad levem ebullitionem, tum novam Sacchari copiam adijce, ut justa consistentia ad effusionem obtineatur; cito immisce Oleum aethereum, manubrium cacabi manu sinistra corrippe, et os effusorium aversum a te tene; manu dextra filum metallicum ad os effusorium admove, ut pasta liquida in filo metallico defluat, et guttatim in tabulam marmoream incidat, in qua indurescat. Saccharum ad plumam coctum jam nimis spissum est et tardius in massas majores effluit. Si acida immiscuntur, non nisi parvae copiae simul misceantur, quia Saccharum citissime acidorum vi chemice immutatur. Pastilli compositi eo parantur, quod Saccharo rite cocto et semirefrigerato pulveres immiscuntur, pasta effundatur, cylindro ligneo extendatur, et cultello in tabulas quadratas dissecetur. Sunt morsuli minoris voluminis.

PASTILLI ABSORBENTES — PASTILLI DESALTERANTES 617

**PASTILLI ABSORBENTES**, Tabellae absorbentes, Tabellae de Magnesia, Trochisci antacidi, Rotulae cum Subcarbonate Magnesia<sup>e</sup> Absorbentibus Zeltchen. *Tablettes de Magnésie.*

Rec. Magnesia<sup>e</sup> albae Unc. quatuor, Sacchari albi Unc. duodetriginta, l. a. subige cum Mucilage ex Gummi Tragacanthae, Gummi Arabici <sup>aa</sup> Unc. semis, Aq. Naphae Unc. quatuor vel q. s. parata; fiant pastilli Gran. sedecim. Ph. Gall. 1837. Magnesium ustam pro carbonica exhibet, scilicet Magnesia<sup>e</sup> ustae Unc. tres, Sacchari albi Unc. tredecim, Mucilage Tragacanth. q. s.; f. pastilli Gran. sedecim. SCHMIDT: Magnes. alb. Unc. unam, Lap. Cancrorum Unc. semis, Cinnamom. Drachm. unam, Sacch. alb. Unc. sex, Mucilage Gummi Tragacanth. q. s.; f. pastilli Gran. 10. Ph. Amer. Magnesia<sup>e</sup> alb. Unc. quatuor, Nuc. moschat. Drachm. unam, Gummi Arab. Unc. unam, Sacch. alb. Unc. sex, Aq. q. s.; f. past. Gran. 10. Alii alias ponderum rationes exhibuere.

**PASTILLI ACIDI CITRICI**. Citronensaure Zeltchen. *Tablettes d'acide citrique.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Acidi citrici cryst. Drachm. tres, Sacch. albi Unc. sedecim, Ol. de Cedro Gutt. sedecim, Mucilage Tragacanth. q. s.; f. pastilli Gran. duodecim.

**PASTILLI ACIDI LACTICI** s. cum Acido lactis. Zeltchen von Milchsäure.

HENRY: Rec. Acidi lactici cryst. Drachm. duas, Sacchar. alb. pulv. Unc. unam, Tinct. Vanill. Gutt. quatuor, Mucilage G. Tragacanth. q. s., f. pastilli Drachm. semis

**PASTILLI ACIDI OXALICI** vid. Morsuli.

**PASTILLI ACIDI TARTARICI** Ph. Gall. 1837.

parentur sicut Pastilli Acidi citrici.

**PASTILLI ALCALINI** vid. Pastilli digestivi.

**PASTILLI ANISI COMPOSITI** vid. Trochisci bechici albi.

**PASTILLI ANTACIDI** vid. Pastilli absorbentes.

**PASTILLI ANTICATARRHALES TRONCHINI**, Tabellae Kermetis mineralis.

CADET: Rec. Gummi Arab. Unc. octo, Kermet. mineral. Sem. Anisi <sup>aa</sup> Scrup. quatuor, Succ. Liquir. Unc. duas, Sacch. albi Libr. duas, Extr. Opii Gran. duodecim, Mucilage Tragacanth. q. s., ut f. pastilli Gran. sex. VAN MONS: Ol. Anisi Gutt. sex, Extr. Opii Gran. duodecim, Kermet. Drachm. unam, Extr. Liquir. Unc. duas, Gummi Arab. Unc. octo, Sacchar. albi Unc. triginta duas, Syr. Sacch. q. s. ad formando pastillos.

**PASTILLI ANTICHLOROTICI** vid. Pastilli martiales.

**PASTILLI ANTIMONIALES** vid. Morsuli antimoniales KUNKLI.

II.

**PASTILLI APHRODISIACI BRERA.**

Rec. Confect. Alkermes Drachm. duas, Ambr., Moschi <sup>aa</sup> Drachm. unam, Sacch. alb. Libr. unam, f. past. Scrupuli unius.

**PASTILLI AURI CYANATI** sec. SOUBEIRAN.

Rec. Auri cyanati Gran. unum, Chocoladae q. s. ut fiant pastilli sedecim.

**PASTILLI AURI NATRO-MURIATICI**, Pastilli Chloroti Auri et Natrii CHRESTIEN.

Rec. Auri muriatici natronati Gran. quinque, Sacchari albi Unc. unam, Mucilage Gummi Tragacanth. q. s.; fiant pastilli 60.

**PASTILLI BALSAMI TOLUTANI**. Tolu balsamzeltchen. *Tablettes de Baume de Tolu.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Bals. Tolutani Unc. unam, dissolve in Spirit. Vini rectiss. Unc. una, adde Aq. dest. Unc. duas, calefac in balneo aquae et filtra, adde Sacch. albi Unc. sedecim, f. pastilli cum Mucilage Tragacanth.

**PASTILLI AD BOTIUM** vid. Trochisci Spongiae ustae.

**PASTILLI BERBERUM**, Rotulae Berberum. Säuerlingfügelschen.

Ph. Wirt., Brunsv. Rec. Sacch. albi Libr. unam, in pulverem redactum leni igne calefac et adde Succ. Berberum bene depurati Unc. duas; effunde in pastillos Conditorum est hos pastillos praeparare.

**PASTILLI CALABRICI** vid. Trochisci Mannae.

**PASTILLI CUM CALOMELLE**, Tabellae cum Chlorureto hydrargyroso. Calomelzeltchen. *Tablettes de Mercure doux, Pastilles vermifuges.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Calomell. vaporibus praep. Unc. unam, Sacch. albi Unc. undecim, Mucilage Tragacanth. q. s., f. pastilli Gran. duodecim.

**PASTILLI CHINAE**, Tabellae cum Kinakina. Chinafügelschen. *Tablettes de Quinquine.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Pulv. Cort. Chin. Unc. duas, — Cinnamom. Drachm. duas, Sacch. alb. Unc. quatuordecim, Mucilage Tragacanth. q. s., f. Pastilli Gran. 16.

**PASTILLI CUM COFFEA MOCCAENSE PIERQUIN.**

Rec. Sacch. albi Unc. quatuor, Coffeae Mocaens. tostae et pulv. Drachm. semis, Kalii iodati Gran. septuaginta quinque, Mucilage Tragacanth. c. infuso forti Coffeae paratae q. s.; f. pastilli trecenti.

**PASTILLI DESALTERANTES PIERQUIN.**

Rec. Arcani duplicat. Drachm. tres, Sacch. albi Libr. unam, Ol. de Cedro Gutt. octo, Mucilage Tragacanth. q. s.

PASTILLI DIGESTIVI d'ARCEY, Pastilli Natri bicarbonici, Tabellae cum Bicarbonate sodico. Digestivjestchen, d'Arcets Soda-fügelchen, *Tablettes de Bicarbonate de Soude*, *Tablettes de Vichy*, *Tablettes de d'ARCEY*.

Ph. Gall. 1837. Rec. Natri bicarbonici Unc. unam, Sacchari albi Unc. undeviginti, Mucilag. Tragacanthae q. s., fiant pastilli Granorum viginti. d'ARCEY guttulas duodecim Olei Menthae piperitae adiecit, at sapor saponaceus post aliquod tempus hoc condimento relinquatur. Exstant horum pastillorum varietates, quae ab Oleo aethereo immixto rosati, sive cum Oleo Neroli, Menthae piperitae, Balsamo Tolutano etc., denominantur. Gummi Arabico pastilli nitidiores fieri dicuntur. SOBERRAN hanc formulam commendat: Rec. Balsami Tolutani Drachm. duas, dissolve in Spir. Vini rectiss. Unc. semis, adde Aquae Unc. unam et semis, coque parum et filtra; cum hoc liquore Mucilago paratur ex Gummi Arabici Drachm. sex, qua mucilagine subigantur Natri bicarbonici Unc. una, Sacch. albi Unc. undeviginti.

PASTILLI EUPHORBIAE LATHYRIS. Springfrantölpastillen. *Tablettes d'Euphorbia Lathyris*, *Tablettes d'Épurgé*.

Rec. Chocoladae c. Vanill. Drachm. duas, Sacch. alb. Drachm. unam, Amyli Scrap. unum, contere cum Oleo Lathyr. Gutt. triginta, adde Cinnamom. Gran. decem, caloris ope f. pastilli triginta.

PASTILLI FERRI vid. Trochisci martiales.

PASTILLI FERRI IODATI, s. Hydroiodatis Ferri. Jodeisenpastillen. *Pastilles avec l'hydriodate de fer*.

Rec. Ferri iodati Drachm. unam, Croci Unc. semis, Sacch. alb. Unc. octo, Mucil. Tragacanth. q. s. f. trochisci 240. cf. Trochisci emmenagogi.

PASTILLI AD FOETOREM ORIS, s. contra halitum foetidum, s. carbonis, s. pro desinfectione animae foetidae. Pastillen gegen riechenden Athem, Kohlenpastillen.

CHEVALIER: Pulv. Carbon., Sacch. albi aa Unc. unam, Chocoladae Unc. tres, Mucilag. Tragacanth. q. s.; f. trochisci Gran. duodeviginti. Alii addunt Vanillae Drachm. unam. Ph. Gall. 1837. Pulv. Carbon. Unc. quatuor, Sacch. albi Libr. unam, Mucilag. Tragacanth. q. s.; trochisci Gran. sedecim. MAGENDIE: Calcar. chloros. Drachm. duas, Sacch. Unc. octo, Amyli Unc. unam, Gummi Tragacanth. Drachm. unam, Coccionell. Gran. tria, f. past. Gran. trium. Hic quoque referendum ad Trochiscos Catechu cum Ambra.

PASTILLI GUMMI ARABICI s. gummosi.

Ph. Gall. 1837. Rec. Gummi Arab. Unc. sedecim, Sacch. albi Libr. quatuor, Aq. Naphae Unc. duas. Mucilago fiat ex parte Gummi ex Aqua Naphae tota, deinde cetera adjiciantur. Ph. Edinb. Gummi Arab. Unc. semis, Amyli Drachm. unam, Sacch. alb. Drachm. unam et semis. (Vergunt in Trochiscos bechicos).

PASTILLI HELICIATI s. helicium. Schneckenpastillen. *Tablettes de Limaçons*.

Rec. Sacchar. heliciati Mouchon. Unc. sedecim, Gummi Tragacanth. Drachm. unam, Aq. Naphae Unc. unam et semis, f. pastilli Gran. 16.

PASTILLI HELMINTHOCHORTI DESCHAMPS

Rec. Sacchari Helminthochorti Unc. quindecim, Gummi Arab. Unc. unam, Mucilag. Tragacanth. q. s., f. pastilli Gran. 20.

PASTILLI OCULORUM CANCROCORUM, Tabellae de Concrementis Cancrici. Krebsaugenpastillen.

Ph. Gall. 1818: Rec. Ocul. Cancror. praep. Unc. unam, Sacch. albi Unc. quatuor, Mucilag. Tragacanth. q. s.

PASTILLI OLEI CROTONIS. Crotonölpastillen.

Rec. Chocoladae cum Vanill. Drachm. duas, Sacch. albi Drachm. unam, Amyli Scrap. unum, Ol. Croton. Gutt. quinque, f. l. a. pilulae No. 30, in lamina ferrea calefacta in pastillos complananda. WOLFFERS: Ol. Croton Gutt. quinque, Pulv. Rad. Liquir., Sacch. albi aa Drachm. unam, Mucilag. Gummi Arab. q. s., f. pastilli No. 20.

PASTILLI CUM OXALATE POTASSAE, s. ad sitim restringendam. Keesalzpastillen, Dinstpastillen. *Pastilles pour la soif*, *Tablettes de Suroxalate de Potasse*.

Ph. Gall. 1817: Rec. Sal. Acetosell. Drachm. tres, Sacch. alb. Unc. sedecim, Ol. de Cedro Gutt. sedecim, Mucilag. Tragacanth. q. s.; f. trochisci Gran. duodecim; simili modo parentur pastilli cum Sale essentiali Tartari (Acido tartarico), et Acido citrico. Ph. Gall. 1818 Acidum oxalicum habuit.

PASTILLI RHABARBARAE s. RHEI. Rhabarberpastillen.

Ph. Gall. 1837: Rec. Rad. Rhei Unc. unam, Sacch. albi Unc. undecim, Mucilag. Tragacanth. q. s.; f. trochisci Gran. duodecim. Ph. Parm.: Rec. Granulor. ex Sacch. et Amylo parat. Unc. duas, Sacch. albi Libr. sex, Amyli Libr. unam, Rad. Rhei Unc. duas, Aq. comm. q. s.

PASTILLI DE SCAMMONIO ET SENNA COMPOSITA vid. Trochisci Diacarthami.

PASTILLI AD SITIM vid. Pastilli cum Oxalate Potassae.



## PASTILLI SPITZLAGI.

Rec. Pulv. Sem. Anisi part. tres, Sacch. alb. part. quingentas, Extr. Opii part. dimidiam, Gummi Arab. part. sexaginta quatuor, — Tragacanth., Succ. Liquirit.  $\bar{a}$ a part. octo.

PASTILLI SULPHURIS. Schwefelpastillen. *Tablettes de Soufre.*

Ph. Gall. 1837. Rec. Sulphur. loti Unc. duas, Sacch. albi Unc. sedecim, Mucilag. Tragacanth. cum Aq. Rosar. q. s., f. pastilli Gran. duodeviginti.

PASTILLI SULPHURIS COMPOSITI. Zusammengesetzte Schwefelpastillen. *Tablettes de Soufre composées.*

Rec. Sulphur. loti Drachm. sex, Flor. Benzoes Drachm. semis, Rad. Ireos Flor. Drachm. unam et Scrup. duos, Ol. Anisi Scrup. unum, Sacchari albi Unc. sedecim, Mucilag. Tragacanth. q. s.

## PASTILLI DE TRIBUS SAUNDEB.

Rec. Nitri Unc. unam, Cremor. Tart. Unc. semis, Sacch. albi Libr. unam, Mucilag. Tragacanth. q. s.

## PASTILLI VANILLAE. Vanillienpastillen.

Rec. Vanillae Unc. unam, contunde cum Sacch. albi Unc. septem, f. pastilli cum Mucilag. Tragacanth.

PASTILLI VERMIFUGI vid. Pastilli cum Calomelle et Trochisci anthelmintici.

## PASTILLI VIOLARUM Ph. Sard.

Rec. Succ. Violar. Unc. tres, Sacch. alb. Libr. duas, Rad. Ireos Unc. unam, Mucilag. Tragacanth. q. s.

PASTILLI WOLFERS vid. Pastilli Olei Crotonis.

PASTILLI ZINGIBERIS. Ingwerpastillen. *Pastilles de Gingembre.*

Rec. Pulv. Zingiberis Unc. duas, Sacch. albi Unc. sedecim, Mucilag. Tragacanth. q. s.

PASTILLI, qui hoc nomine non reperiuntur, voce Trochisci exhibitum sunt.

PEDICULUS ELEPHANTI. Stephantenlaus. Dicitur in Germania septentrionali remedium sympatheticum in inflammationibus oculorum serophulos. Est fructus maturus Anacardii occidentalis (Cajubaum) nec ab elephante vel animali quovis oriundus.

PEDILUVIUM ALCALINUM. Alkalisches Fußbad. *Pedituve alcalin.*

Rec. Cinerum clavell. depur. Unc. quatuor ad octo, Aquae comm. tepidae q. s.

PEDILUVIUM ARMORACIAE s. irritans. Mährrettig-Fußbad.

Rec. Rad. Armoraciae rasae Unc. duas ad quatuor, Aq. tepidae q. s.

PEDILUVIUM MURIATICUM. Salzsaures Fußbad. *Pédituve hydrochlorique.*

Rec. Acidi Salis crudi Unc. quatuor ad octo, Aq. comm. tepid. q. s.

PEDILUVIUM NITRO-MURIATICUM. Salpeter-salzsaures Fußbad. *Pédituve nitro-muriatique.*

Rec. Aquae Regis Unc. quatuor ad octo, Aq. comm. tepidae q. s.

PEDILUVIUM SALINUM.

Rec. Sal. communis Manipulum unum, Aq. tepidae q. s.

PEDILUVIUM SEDATIVUM.

Rec. Lactucae sativae plantas integras totas octo vel decem, Aq. comm. q. s., digestae coquantur paululum.

PEDILUVIUM SINAPEOS. Senffußbad.

Rec. Sem. Sinap. nigri contus. Unc. tres ad quatuor, Aq. tepidae q. s.

PERLAE PRAEPARATAE sicut Conchae praeparatae.

PEROXYDUM vide Nomina antiqua et a Metallo derivata.

PERSULPHURETUM POTASSICUM Ph. Gall. vid. Liquor Hepatis Sulphuris salini (p. 524).

PERSULPHURETUM STANNI vid. Aurum mosaicum (p. 104).

PETROLEUM SULPHURATUM vid. Balsamum Sulphuris barbadense (p. 121).

PHILLYRINUM. Phyllirin.

Materia chemice distincta ex Cortice Phyllyreae latifoliae paranda. A CAMPONA propter vires febrifugas commendabatur, sed nondum in usum vocabatur. Paratur ex decoctione corticis aquosa, quae lacte calcareo praecipitatur. Sedimentum elotum atque siccatur Spiritu Vini rectis. fervido extrahitur, et ex solutione spirituosa crystalli nascuntur squamosae, aqua parum solubiles, Spiritu Vini persolubiles, saporis amari adstringentis.

PHILONIUM ROMANUM vid. Electuarium Philonium Romanum (p. 276).

PHLORHIZINUM, Phlorhizin. *Phloricine.* Materia chemice distincta ex cortice radice Pomi praeparanda. Nomen a vocibus graecis  $\Phi\lambda\omicron\rho\iota\omicron\varsigma$ , cortex, et  $\rho\iota\zeta\alpha$ , radix derivatur, et originem indicat. Quod ut praepares, recipe corticem recentem (in vetusto nil fere adesse dicitur) radice Pomi, et coque cum tantillo Aquae communis ut cortices plane submersi sint, et cola, iterum cola et separatim cola. Ex colatura priori saepius altera die crystalli enatae inveniuntur, has exime et liquores collectos fac evaporare ad quintam voluminis partem, sub finem cum Ebore uso clarifica et cola fervida. Post aliquot dies Phlorhizinum totum concreverit. Crystalli collectae, si opus fuerit, altera crystallisatione

depurentur. Phlorhizinum quoque, cum Spiritu Vini extrahi potest, idque uberius. Infundatur corticibus recentibus Spiritus Vini rectificatus per horas octo, effundatur, et Spiritus distillatione abstrahatur. Ex liquore residuo crystalli quoque nascuntur.

Sunt crystalli sericeae, aciculares, plerumque leviter flavae, aqua frigida parum, fervida persolubiles, Spiritu Vini fervido quoque persolubiles, pond. spec. 1,429, saporis amari, postea adstringentis. *Vis*: febrifuga praedicatur; a Salicino non multum differt. Usus: in febris tentatum, at nondum receptum est, quum propter Chinium sulphuricum, quod certius et citius ubique agit eoque vilius est, gloriolam sibi comparare non potuit.

PHOSPHAS AMMONIAE CUM SODA s. ammoniaco-mineralis vid. Sal microcosmicum.

PHOSPHAS BARYTAE vid. Baryta phosphorica (p. 128).

PHOSPHAS CALCIS STIBIATUS vid. Pulvis antimonalis Jacobi.

PHOSPHAS CHINII vid. Chinium phosphoricum (p. 176).

PHOSPHAS CUPRI vid. Cuprum phosphoricum (p. 213).

PHOSPHAS FERRI vid. Ferrum phosphoricum (p. 430).

PHOSPHAS MAGNESIAE vid. Magnesia phosphorica (p. 537).

PHOSPHAS MERCURII vid. Mercurius phosphoricus (p. 547).

PHOSPHAS NATRICUS s. SODAE vid. Natrium phosphoricum (p. 585).

† PHOSPHORUS PULVERATUS s. COMMUNIS. *Verfleinerter Phosphorus.*

Rec. Phosphori q. v., immitte in vitrum, affunde Aq. destillatae q. s., ut vitri quadrantes tres repleantur. Vitrum in aquam calidam impone, donec Phosphorus liquatus fuerit, tum assidua conquassatione exagita, donec aqua frige facta et Phosphorus solidifacatus fuerit. Extempore praeparetur quando eo opus est ad Oleum phosphoratum vel Naphtham phosphoratum.

PIROTOXINUM vid. Cocculinum (p. 185).

### PILULAE, Pilsen, *Pilules.*

Medicamenta solida vel subsolida sunt, ex massa satis tenaci ut in globulos parvos formari possit. Nomen dimioutivum a pila, *Ballen*, derivatum est et globulum, *Kügelchen*, *Bällchen*, significat, quia globulorum formam semper habent. Pilularum mixtio varia est, ut totum rei medicae thesaurum amplectantur. Insunt plerumque pulveres, extracta, pulpa, resinae, bal-

sami, gummi resinae, materiae minerales, cet. Sunt qui per se in pilularum formam redigi possunt, alii nimis dura vel nimis mollia sunt. Pulveres plerumque extractis subiguntur, Saponem oleo; aliae pilularum massae Syrupo, Oxymelle, Mucilage finit. Mucilaginosae nimium temporis lapsu indurescunt, et pilulae exsiccaatae vel indigesta per intestina transmigrant, vel major copia simul dissolvitur in stomacho et graves casus afferre potest. Pilularum parandarum finis ubique est, medicamenta nauseosa vel gravia uno haustu in stomachum ingerere. Hac de causa ex cochleari cum aquae pauxillo cito absorbentur, vel charta farinacea *Sofite* madefacta involutae devorantur.

Pilulae plerumque ad hanc methodum parentur: Pulveres praescripti primum misceantur; horum ii antea conterantur, qui temporis lapsu facile conglobantur, sicut Gummi-Resinae, vel qui in frustulis obveniunt, sicut Resina Jalappae, Aloë et Extractum Aloës. Tunc extracta praescripta adjiciantur, et strenua contusione subiguntur. Si extracti copia sufficiens praescribitur, haec caute addatur et postea ex massae pilularum pondere dignoscatur, si vero extracti certa copia additur, massa pilularum, nisi ex ipsa formula exit, ope Pulveris Liquiritiae, — Althaeae vel Gentianae conspissetur et rite depresso. Ad massas solidificandas pulveres sumantur, quorum extracta in ipsa formula obveniunt, in dubio Rad. Althaeae vices implet. Materiae resinosa quaedam vel calore ipso vel guttulis Spiritus Vini emollescunt. Justa massae spissitudo adest, si fundo adglutinare desinit, digitis parum adhaeret et in pilulas formata non ipso pondere comprimitur et in pastillum reducitur. Mortarius plerumque abeneus vel ferreus est, si salia metallica et acida pilulis insunt, lapideus, pro Mercurio vivo ferreus vel lapideus. Pilularum in machina fabricatio institutione practica melius quam verbis ediscitur; consperguntur pilulae ut externe siccescant, nec inter sese cohaereant. Nisi pulvis conspersorius praescriptus fuerit, Lycopodium sumatur; praeterea Pulvis Rad. Liquiritiae et Ireos, Amylum, Cinnamomum, cet. Pilulae auro vel argento obducuntur in pyxide lignea operculo munita; ne nimis molles vel durae sint hunc in finem. Eo enim fit, ut auri nimium imbibant, nec splendorem induant, vel ut metallum sibi inducere plane recusent. Pilulae, quae Mercurium vivum vel Hepar Sulphuris continent, neque auro neque argento obduci possunt.

PILULAE ABSORBENTES — PIL. ALOEPHANGINAE 621

PILULAE ABSORBENTES ELLIS.

Rec. Sal Sodae, Rad. Rhei, Extr. Gentian.  
 $\overline{aa}$  Scrup. unum, Mercur. dulc. Gran. tria,  
 f. pilul. 20

PILULAE ABSORBENTES s. rhabarbarinae antacidiae SWEDIAUR.

Rec. Rhei, Magnes. ust.  $\overline{aa}$  Drachm. duas,  
 Extr. Gentian. q. s., f. pilulae Gran. quinque.

PILULAE ACETATIS MERCURII vid. Pilulae KEYSERII.

PILULAE ACETATIS PLUMBI.

Rec. Sacchar. Saturni, Pulv. Althaeae  $\overline{aa}$   
 Drachm. unam, Syr. Sacch. q. s., f. pil. 36.

PILULAE ACETATIS PLUMBI ET IPECACUANHAE VAVASSEUR.

Rec. Sacch. Saturni, Ipecacuanh.  $\overline{aa}$  Drachm.  
 unam, Opii Gran. decem, Syr. Sacch. q. s.,  
 f. pilul. 40.

PILULAE ACIDI PHOSPHORICI SUNDELIN.

Rec. Acid phosphor. sicc. Drachm. duas,  
 Pulv. Rad. Alth. Drachm. tres, f. pil. Gran.  
 duorum.

PILULAE ACONITI MERCURIALES PIERQUIN.

Rec. Mercur. sublim. corros. Gran. duo,  
 Extr. Aconit. Scrup. unum, f. pil. 20.

PILULAE ADSTRINGENTES BURDACH.

Rec. Olibani, Cort. Aurant.  $\overline{aa}$  Drachm.  
 unam, Cort. Quercus Drachm. semis, Extr.  
 Gentian. q. s., f. pil. Gran. duorum.

PILULAE ADSTRINGENTES CAPURONI s. aluminato-opiaceae.

Rec. Catechu Gran. duodecim, Alumin.  
 Gran. sex, Opii Gran. duo, Syr. Rosar. q. s.

PILULAE ADSTRINGENTES FORMEY.

Rec. Sal. Ammon. martiat., Alumin., Pulv.  
 aromat., Extr. Chinae frig. par. Drachm. se-  
 mis, Ol. Cinnamon. aeth. Gutt. duodecim,  
 f. pil. Gran. duorum.

PILULAE ADSTRINGENTES Ph. Ferr.

Rec. Extr. Ratanh. Drachm. unam, Aq.  
 comm. q. s., f. pil. 12.

PILULAE ADSTRINGENTES HENRY et GUIBOURT.

Rec. Pulv. adstring. q. s., Syrup. Rosar. q.  
 s., f. pil. Gran. sex.

PILULAE ADSTRINGENTES MORANDI.

Rec. Calomell. Gran. octo, Catechu Scrup.  
 unum, Oculor. Caecror. Scrup. duos, Bals.  
 Copaiv. Scrup. semis, Syr. Chinae q. s., f.  
 pil. Gran. quatuor.

PILULAE ADSTRINGENTES QUARINI.

Rec. Extr. Tormentillae Drachm. unam,  
 Mastich. Drachm. duas, Gummi Arab. Unc.  
 semis, Terebinth. Coct. q. s., f. pil. Granor.  
 quatuor.

PILULAE ADSTRINGENTES SAINTH-MARIE.

Rec. Balsami de Mecca Gutt. octo, Opii  
 Gran. unum, Terebinth. coct. q. s., f. pilulae  
 duae; vel: Terebinth. coct., Sang. Dracon.  $\overline{aa}$   
 Drachm. duas, Terebinth. Venet. q. s., f. pil.  
 Gran. quatuor.

PILULAE ADSTRINGENTES Ph. Sard.

Rec. Alumin. crud. Unc. semis, Catechu  
 Sanguin. Dracon.  $\overline{aa}$  Drachm. duas, Syr. Pa-  
 pav. alb. q. s.

PILULAE ADSTRINGENTES SWEDIAUR.

Rec. Kino Unc. semis, Balsami Canadens.  
 Unc. duas, Rad. Tormentill. pulv. q. s., f. pil.  
 Gran. quinque.

PILULAE ADSTRINGENTES TRONCHINI.

Rec. Gummi Arab., Extr. Liquir.  $\overline{aa}$  Drachm.  
 duas, Catechu Drachm. semis, Mastich. Drachm.  
 unam, Syr. Alth. q. s., f. pil. Gran. trium.

PILULAE ADSTRINGENTES WEITZ.

Rec. Kino, Myrrh., Extr. Marrub.  $\overline{aa}$  Drachm.  
 duas, Vitrioli Martis Drachm. duas, f. pil.  
 Gran. duorum.

PILULAE ADSTRINGENTES ET TONICAE WERLHOFF.

Rec. Vitriol. Mart. Drachm. duas, Extr. Ab-  
 sinth. Unc. semis, Syrup. Croci q. s., f. pil.  
 150

PILULAE AETHIOPICAE s. aethiopiae compositae.

Ph. Wirt. Rec. Aethiop. mineral. Unc.  
 unam, Reguli Antimon., Gummi Guajaci  $\overline{aa}$   
 Unc. semis, Extr. Sarsaparill. Unc. unam.  
 Ph. Dan. Rec. Mercur. vivi Drachm. sex,  
 Sulphur. aurat. Antimon. Unc. semis, Sapon.  
 medical., Resin. Guajaci  $\overline{aa}$  Unc. semis, Syr.  
 comm. q. s.

PILULAE CONTRA AGRYPNIAM VOGT.

Rec. Opii Grani quadrantem, Extr. Lactuc.  
 Gran. duo, Pulv. Croci Gran. unum et semis,  
 f. pilula una, auro obducenda.

PILULAE ALBAE CADET.

Rec. Calomell. Drachm. semis, Rad. Jalapp.  
 Unc. semis, Croci Mart. aperitiv. Drachm.  
 duas, Milleped. Scrup. duos, Syr. quinque  
 Radic. q. s., f. pil. Gran. quatuor.

PILULAE ALLII SATIVI Knoblauchpillen. *Pilules d'ail.*

Rec. Rad. Allii, Sapon. Venet.  $\overline{aa}$  Unc. se-  
 mis, Pulv. Liquirit. q. s., f. pilul. Gran.  
 quinque.

PILULAE ALOEPHANGINAE Ph. Wirt.

Rec. Specier. aromat. Caryophyll. Unc. unam,  
 Myrrh. elect., Mastich.  $\overline{aa}$  Drachm. tres, Croci  
 Drachm. unam et semis, Extr. Aloës Unc.  
 duas, f. pil. MYASICITUS prolixiorum for-  
 mulam tradidit.

**PILULAE ALOES** s. aloëticae  
s. Aloës simplices. Aloëpissen.

*Pilules d'Aloës.*

Rec. Aloës q. v., contunde in pulverem subtilissimum et cum pauxillo Mellis albi in pilulas Gran. duorum redige.

Extant legiones formularum pilularum aloëticarum, quae hodie quoque non plane exoleverunt. Inter has Pilulae Aloës simplices anteponi merentur. Ph. Amer.: Aloës et Sapon.  $\frac{ss}{\text{Unc.}}$  unam in pilulas 240 redigi vult. Aloë cruda quoque cum guttulis Spiritus Vini in pilulas redigitur, idque duriores atque nitidiores, quam cum Melle et Syrupo. Alii quoque Aloën coctione et evaporatione emollitam in pilulas formari praescribunt, quae quidem procedendi methodus majorem operam secum fert.

**PILULAE ALOES APERTIVAE** Clin.  
Chirurg. Berol.

Rec. Aloës Drachm. duas, Extr. Gratiolae, Pulv. Hb. Gratiolae  $\frac{ss}{\text{Drachm.}}$  semis, f. pil. Gran. duorum, consp. Sem. Lycopod.

**PILULAE ALOES CUM AGARICO** vid. Pilulae Hierae cum Agarico.

**PILULAE ALOES AMARAE**, Pilulae e  
Gentiana crocatae Ph. Suec.

Rec. Massae Pilularum Ruri Unc. unam et semis, Extr. Gentian. Unc. unam, f. pilul. No. 1200.

**PILULAE ALOES CUM ASA FOETIDA.**

Ph. Amer., Edinb.: Rec. Aloës, Asae foetidae, Sapon. Venet.  $\frac{aa}{\text{part}}$  aequales, f. pil. cum Mucilag. Gummi Arab. pilulae 180. SAUNDER: Rec. Aloës Drachm. unam, Asae foetidae Drachm. semis, Ol. Carvi Gutt. quindecim, Syr. Sacch. q. s., f. pil. No. 30.

**PILULAE ALOES CUM CHINA** vid. Pilulae ante cibum.

**PILULAE ALOES CUM COLOCYNTHIDE**, s. Colocynthidis  
compositae (quas confer).

